

Hæcque Stirps conditorium suum in Monasterio Osiach quod in Carnis est, ab antiquo habuit. (c) Ibi terræ redditus est Conradus ab Himmelberg cujus memoria in Annos 1313. 1317. & 1319. incidit. (d) Chuenglein & Chueng die Himmelberger Fratres, Ottonis filii ex matre Kunigunda nomine suscepti, in antiquis chartis ad Annum 1353. citantur. (e) Nicolaus ab Himmelberg Anno 1346. & 1389. in vivis fuit. (f) Conradus alius Himmelbergius in Annis 1385. & 1387. Annam Eberlini Peurl filiam in matrimonio habuit. (g) Fridericus & Otto Himmelbergii Conradi hujus filii Anno 1406. lucis usura gavisi sunt. (h) Dominicus autem hujus gentis propago Anno 1396. vixit. (i) Georgius ab Himmelberg Anno 1414. 1416. & 1421. celebratur. (k) Antonius à quo Bucelinus P. III. Germ. Stemm. Genealogiam orditur Vice-Dominus Carinthiæ fuit Anno 1440. & An: 1444. in matrimonio habuit Margaretham Wierin. (l) In Actis Archivi Statuum Austriæ Conradus Himmelbergius à Johanne ab Ehrenfels in testimonium vocatus est An: 1412. (m) Et in alio documento de Anno 1418. Leonhardi ab Himmelberg memoria occurrit. (n)

(a) *Liber Torneament.* (b) *Ibi.* (c) *MSC. Kainach.* (d) *Ibi.* (e) *Ibi.* (f) *Ibi.* (g) *Ibi.* (h) *Ibi.* (i) *Ibi.* (k) *Ibi.* (l) *Ibi.* (m) *Archiv. Stat. Austr. num. 1845.* (n) *Ibi num. 2024.*

CAPUT LIX.

BARONES DE GERA.

Inter Styriacas Carinthiacasque Familias jam à seculis aliquot Germanæ Stirpis Illustre decus fuit. *Bucelin. Germ. P. III. & M. Zeiler. Itin. Germ. P. I. pag. 112.* Proceres hos ex Geræ Dominis & Variiciæ Advocatis per errorem cum Dressero deducunt. Magis certa est opinio Lazii hanc Familiam in Ostro-Francia oriundam asserentis, ex qua Georgius ab Episcopo Bambergensi in Carinthiam Anno 1471. missus ibique ditionis Babenbergensis Præfectus factus est. De Henrico autem Gerano antiquior memoria superest. (a) Fridericus IV. enim Romanorum Imperator Henrico illi de Gera, quem vocat, dem Edlen Henrich von Gera / Sigismundoque & Reinperto ab Eberstorff successionem in Feuda quædam Bohemica à Reinfaldo à Clugks tunc temporis possessa, Anno 1450. pollicitus est. (b)

(a) *Spener. Part. Special. Op. Heral. L. II. c. 29.* (b) *Archivum Statuum Austriæ num. 2703.*

CAPUT